



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Homine Spirituali

Walenburch, Adrian van
Walenburch, Peter van

Antverpiae, 1666

12. Consid. De varijs effectibus Spiritus Christi in fidelibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10007

CONSIDERATIO XII.

*De varijs effectibus spiritus Christi
in fidelibus.*

I. **Q**Uædam sunt circà spiri-
tualia, quæ tutissimè ne-
sciuntur; alia verò, quæ utilè est
cognoscere. Sic dicit Apostolus;
(a) *De spiritualibus autem, nolo vos igno-
rare fratres. Et quid non vult nos ig-
norare? Nemo potest dicere, Dominus
IESUS: nisi in spiritu sancto. Divisiones
verò gratiarum sunt: unus autem spiritus.
Et divisiones ministracionum sunt, idem
verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.
Unicuique autem datur manifestatio spiri-
tus, ad utilitatem. Alij quidem per spiri-
tum datur sermo sapientiæ, alij sermo scien-
tiæ secundum eundem spiritum: alteri fi-
des in eodem spiritu, alij gratia sanitarum,
in uno spiritu, alij gratia virtutum, alij pro-*

(a) I. Cor. 12. 1. x.

prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.

2. Describit Apostolus insignem œconomiam spiritus Dei, per multam donationum, operationumque varietatem, ad utilitatē Ecclesiæ dispensatam. Quicumque dona Spiritus Sancti, sua reputat, ignorat neminem posse dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto; & Deo gloriam suam detrahit, qui operatur omnia in omnibus. Quicumque dona Spiritus sancti, ad utilitatem proximi concessa, in privatos usus convertit; injurius est Deo: quia unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Quicumque obmurmurando indagat, cur huic præ illo dentur varia dona Spiritus sancti; audiat Apostolum dicentem, quòd dividat singulis prout vult. Laudemus Deum
in

70 De Homine spirituali
in varietate donorum, quæ super
Ecclesiam misericorditer effudit.

CONSIDERATIO XIII.

*Spirituales maxime cognosci in spiritu pacis
& mansuetudinis.*

1. **Q**uamvis omnes iustificati
sint spirituales, non tamen
sunt omnes perfectè spirituales; si
aliqua ex præcipuis donis, spiritua-
lem decentibus, inveniuntur deesse.
Inter illa autem dona, non sunt po-
strema, spiritus pacis & mansuetu-
dinis.

2. Et hoc observavit Apostolus;
(b) *Ego fratres non potui vobis loqui quasi
spiritualibus, sed quasi carnalibus, tan-
quam parvulis in Christo. Lac vobis potum
dedi, non escam: nondum enim poteratis,
sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim
carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus*
& cont-

(a) 1. Cor. 3. 1.